MATTHAEI RADERI
E SOCIETATE IESV,

ANALECTA,

TERTIIS COMMENTARIORVM
Curis, ad Martialem iam editis,
addenda.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM KINCKIVM, ad
interſigne Monocerotis.

Anno M. DC. XXVIII.

R. P.

MATTHAEI RADERI ANALECTA

TERTIIS COMMENTARIORUM curis ad Martialem iam editis addenda.

ERUDITO LECTORI S.

VEre iam olim veteres cùm Scriptores quamuis exacti, tum Pictores nobiles, eximijque artifices & fictores, inclitis tamen operibus ſuis, picturis, & Iconibus ad finem, & ſubſcriptum nomen addere ſolitabant, Plato, exempli cauſa, ſcribebat, Apelles pingebat, Lyſippus fingebat; quaſi nihil ab humano genere perfectum ſuiſq; numeris abſolutum conſummatumque fieri poſſit. Sagax enim & ingenioſa poſteritas vel multa poſt ſecula, non pauca vetuſtis etiam in auctoribus caſtiganda paſsim deprehendit. Idem ſanè iam ſæpius nobis (& vtinam nobis tantùm) in laboribus noſtris vſu venit. Multa quippe ſub varia interim & nouorum ſcriptorum lectione animaduertimus, multa etiam ab amicis ad me perſcripta ſunt, quibus aliqui ſubinde verſus Martialis clarius & veriùs expoſiti videntur. Incidi præterea per hoſce dies in Flauij Lucij Dextri Præfecti Prætorio in Orientis Imperio S. Hieronymo & Oroſio æqualis & familiaris, gente Hiſpani Chronicon, ex quibus neſcio ruinis erutum; in quo ex interpretatione Frãciſci Biuarij mira quædam de Seneca, Plinio iuniore, Auito, Clemente, Paterno & alijs cognoui, quos & Dexter, & Biuarius recens illius Scholiaſtes Chriſtianos fuiſſe teſtantur, omneſque Martiali Poetæ perfamiliares: de quibus iudicium eſt ferẽdum. Sunt enim qui de vtroque hoc ſcriptore, Dextro inquam

Biuario alia omnia ſentiant; ex quibus vnus aliquis ex intimis amicis non tamen Ordinis noſtri, his nuper verbis ad me perſcripſit: *Hoc Chronicon nihil aliud eſt quàm farrago fabularum partim recenter excogitatarum, partim famæ aliquot ſeculis continuatæ mendacio confirmatarum. Habẽt nimirum & Hiſpani ſuum Annium Viterbienſem: habueruntq́; iam olim Iſidorum Mercatorem inſulſiſſimum fabrum Decretalium Epiſtolarum Rom. PP. quas ex Hiſpania primum allatas docet Baronius tom. 9. ſub annum Christi* IↃCCCCLXV. *num. 5. earumq́; impoſturas ſæpe detegit.*

De vtroque ſcriptore, Dextro inquam & Biuario nos plura diſputabimus, vbi ad illos Martialis de Seneca, Plinio & alijs verſus in Analectis perueniemus. Nunc Analecta auſpicemur.

EPI-

AD MARTIALEM

EPIGRAMMA XVI.

Lib. Singularis

DE TAVRO.

Cuius vltimum diſtichum hoc eſt:

Cæſaris atque Iouis confer nunc, Stella, iuuencos,
Par onus vt tulerint, altius iſte tulit.

Dixeram, videri claudicaturam contentionem inter Iouis & Domitiani ſchema inſtitutam, niſi taurum qui Herculem tulit, ipſe Domitianus ſubijſſet, vt Iupiter taurum ſimulauit, quando Europam per vndas vexit. Durum tamen videri. Domitianum ipſum tauri formam induiſſe Lectoremque arbitrum legi, ex quo hæc quidam ad me poſt tertias Curas editas: *Nego claudicare Stegma (ita verſum legit pro ſtella) Cæſaris atque Iouis, etiamſi Domitianus taurum non ſubierit; nam ex mente Poetæ, non taurus per ſe confertur tauro, ſed ea quæ ab vtroque geſtata ſunt. & modus geſtandi ſeu tollendi: alter enim tulit Europam puellam; alter Herculem Deum. Itaque Stegma Cæſaris illo Iouis præſtantius eſſe videtur, quod Deum geſtauit. Immò vt demus parem eſſe vtriuſque oneris præſtantiam, taurus ſanè Cæſaris, qui ſummo altius ſuſtulit, vel ſolo hoc nomine (inquit Poeta) Iouis tauro præcellit.* Non diſplicet hæc loci huius interpretatio, durior enim altera ſententia, vt monui videbatur.

—— *confer nunc Stella,* ——

Altera & magna inter auctores eſt de huius verſus lectione controuerſia, vt in Commentario docui, quando alij Schema, alij ſtemma, alij ſcamma, alij Stella, alij Roma, alij thauma reſcribunt. Mihi vel Schema vel ſtella arridebat: Stellæ.n. plura infrà epigrãmata, inſcripſit & ſentẽtia carminis non ſolùm fert hanc ſcripturam, ſed valde clara & expedita eſt; Compone, Stella, nunc iuuencos Iouis & Cæſaris, & quæ ſequuntur. Non diſplicet tamen Schema; Confer nunc quiſquis hæc legis Schema Iouis & Domitiani &c. Stemma damnaui in Commentario, quòd acceperim vocem pro ſtirpe familiæ vt Iuuenalis:

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri? ——

Quo ſenſu ſtemma nihil facit ad verſum Martialis. Sed pronuper in medium prodijt Claudius Salmaſius, qui multa paſsim ad explicandos Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptores contulit, & Martialis etiam quædam Epigrammata attigit & illuſtrauit, vti in hoc ipſo de tauro extremo diſticho vocem ſtemma (quam ſcripturam ille retinet) aliter quam vulgo exponit: Stemma enim ſcriptum ait pro ſtegma, obſecundantibus nempe Librarijs pronunciationi. ſic enim ſcripſerunt alibi, Simma pro Sigma, Stamma, pro Stagma. Deriuat autem Stemma, ſeu veriùs Stegma, ἀπὸ τοῦ στέγειν, quod ſuſtinere & ferre aliquid ſignificat; Stegma autẽ poſteriores verterunt in Stemma pro fulcimento vt Simma pro Sigma, Stamma pro Stagma. Quo ſenſu non ineptè quadrat in verſum Martialis.

Lib. I. Epigr. 16.

——IVLI MEMORANDE.——

Hunc Iulium exiſtimat Dexter & cum Dextro illius Apologetes & Scoliaſtes Franciſcus Biuarius fuiſſe Chriſtianum & Pontificem Toletanum in Hiſpania & inibi lauream retuliſſe. Et Iulianum, vt Biuarius ſuſpicatur dum ſacro fonte tingeretur, aucta Syllaba dictum Iulianum. Quæ omnia alijs, ἀπροσδόκητα καὶ ἄπιστα, vt & mihi videntur. Verba Dextri p. 71. apud Biuarium hæc ſunt: *Anno Chriſti 86. num 6. S. Iulianus diſcipulus Petri, Martiali charus, Vicum transfertur, ad quem locum multa Biuarius.* Cur non potius credatur ille Iulianus quem li. 3. ep. 25. laudat Martialis.

Lib. I. Epigram. 57.

Continuis vexata madet vindemia nimbis
Non potes, vt cupias vendere Caupo merum

Eſt qui hoc Epigramma ſic intelligit: Merum in pluuioſa vindemia fit carius. Itaque gaudent qui merum vetus in cellis habent reconditum, quod pluris poſsint vendere, quàm ſi recens

 vinde-

vindemia caruiſſet pluuijs, quæ corrumpunt nouum vinum. Caupo autem, qui vtique optaſſet eadem lucri occaſione frui, non potuit, quia fontanâ aut præterfluente miſcuerat vinum ſuum, & æquale fecerat muſto pluuijs corrupto.

Lib. 2. Epig. 43.

——*Lybicos orbes*——

Sic orbis Lacedæmonius eſt menſa marmorea, id eſt Abacus, qui quod rotundus eſſet, Orbis dictus eſt Iuuenali. Nam & menſæ rotundæ etiam orbis nomine ſunt appellatæ, Delphicæ menſæ Latinis & ſimpliciter Delphicæ.

Lib. 1. Epig 62.

Duoſq; Senecas ——

Hoſce duos Senecas dixi in Commentarijs fuiſſe Patrem Rhetorem, ſeu Declamatorem, cuius controuerſiæ & ſuaſoriæ extant. Alterum eiuſdem filium L. Annæum Senecam Philoſophum & Tragicum, Neronis Doctorem & Moderatorem. Et ita verſus omnino Martialis intelligendus eſt. Sed apud Dextrum de duobus iterum Senecis, vtroque Chriſtiano cognoui. L. inquam Annæo Seneca Philoſopho Rhetoris filio, & Neronis, vti dixi, Magiſtro, quem Dexter, & cũ eo illius Scholiaſtes & Apologetes Franciſcus Biuarius, Chriſtianũ volunt. Altero autem L. Seneca Centurione, de quo Martialis nihil, ſed Dexter anno Chriſti quinquageſimo his verbis agit: *L. Seneca Centurio Sintria* (in Luſitania) *occumbit*. Ad quẽ Dextri locum ita Biuarius p. 103. n. 6. *L. Seneca &c.) Loco* Senticæ *vt antea in codice legebatur, mutant* Sintriæ, *Luſitaniæ oppidum; quod hodiè* Sintra *nuncupatur: in cuius Eccleſia S. Michaeli dicata, adhuc in lapide vetuſtiſſimo perſeuerat L. Senecæ Epitaphium; quod non ſolum ipſi, ſed etiam L. Aeliano filio, & Caſiæ Quintiliæ vxori commune eſt. Adducitur ab Ambroſio Morales lib. 9. hiſtor. Hiſpan. cap. 9. dum agit de euentibus anni 55. Eſt vero huiuſmodi:*

L. Aelius L. F. Gal. Aelianus H. S. E.	Id eſt:	*Lucius Aelius, Lucij Filius Galerius Aelianus Hic ſitus eſt.*
L. Aelius, Sex. F. Gal. Seneca Pater H. S. E.		*Lucius Aelius, Sexti Filius Galerius Seneca Pater Hic Situs eſt.*
Caſia Q. F. Quintilia Mater H. S. E.		*Caſia, Quinti filia Quintilia mater Hic ſita eſt.*

In quo ſummopere notandum, non ſuperponi notas illas D. M. S. vel D. M. quæ denotant Dijs Manibus ſacrum, vel Dijs Manibus, qui à gentilibus Dij mortuorum credebantur. Cùm verò in omnibus Gentilium Epitaphijs reperiantur, & in hoc omnino deficiant, ſignum manifeſtum eſt, fuiſſe hominum Chriſtianorum; præſertim quia nulla alia nota Gentilium ibi eſt, & quod multis inſcribebatur lapidibus Aug. Sacerdos. vel aliquid huiuſmodi.

Atque hæc de L. Seneca Centurione Chriſtiano, quo de nihil controuerſiæ eſt.

Alter in quæſtionem venit, Philoſophus inquam & Neronis Præceptor, quem Dexter etiã Chriſtianum facit, cum de illo ita tradit: Anno Chriſti 64. num. 3. *Lucius Annæus Seneca Cordubenſis Hiſpanus,*
p. 121. *miſſis vltro citroque ad S. Paulum literis de Chriſtianate bene ſentit, factuſq; Chriſtianus occultus eius fuiſſe diſcipulus creditur; dulciterque ſcribit ad Paulum in Hiſpania morantem.*

Et Anno Chriſti 66. L. Annæus Seneca Cordubenſis Conſularis Vir, & in religionem Chriſtianam egregiè propenſus, cui etiam ſecretò adhærebat, datis, & acceptis à Paulo literis celebrandus, iuſſu Neronis, venarum inciſione perit.

Ad priorem locum Dextri ita Franciſcus Biuarius, Apologetes & Scholiaſtes illius contra Baronium diſputat, vt oſtendat Epiſtolas S. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum germanas eſſe, non ſpurias aut fictas.

In poſteriore loco anni 99. ex Auguſtino plura de fide Senecæ profert, vbi Dexter de ipſius
p. 142. nece tractat; *Lucius Seneca* &c. De quo ita Biuarius: *Cùm eodem retecta Coniurationis Piſonianæ tempore, tam Seneca quàm Lucanus necatus ſit, neſcioquomodo Euſebio in mentem venit mortem Senecæ in annum Domini 67. reijcere, cùm tamen ipſo referente anno Domini 66. Lucanus mortem oppetierit. Quare multò conſonantius Dexter Senecam quoque eodem anno abſumptum tradit. Aſſentitur his etiam Ambroſius Morales libr. 9. cap. 9. in eo leuiter emendandus, quòd Menſe Martio dicat Senecam mortuum, cùm deberet dicere menſe Maio; ſiquidem Lucanus, qui, Euſebio & Dextro auctoribus, prius cecidit, vltima Aprilis obijt. Quapropter Senecam menſe Maio ſequentis mortuum eſſe congruum eſt, vt dicamus. Fuit Cordubæ*

natus,

Digitized by Google

natus, Seneca ſeniore nobili Oratore & Helbia ſeu Albina Parentibus. Parentis eius ſunt Declamationes, quæ inter opera filij extant; vt probe affirmat & probat Morales. His parentibus nati ſunt filij tres, Annæus Seneca Philoſophus, Neronis Magiſter, vnius Gallio, & Annæus Mela Lucani Pater. Nupſit Seneca Paulinæ Pompeia fœmina nobiliſſima, quæ cùm Neronis iuſſu Senecam inciſione venarum animam efflantem videret, ipſa quoque ſuas incidere fecit, quo dilectiſſimum maritum vel in ipſa morte comitaretur. Sed Cæſaris beneficio, vita eius conſultum fuit. Addit Euſebius, Senecam non tantùm inciſione venarum, quod ſibi mortis genus delegerat, optione à Cæſare conceſſa, ſed etiam hauſtu veneni periſſe. Non defuit illi è vita ſublato Zoilus ſuus, Xiphilinus inquam, Dionis Caſſij abbreuiator, qui non pauca in eum maledicta congeſſit, præcipuè in eo notans, quòd viueret aliter quàm ſcriberet, dum ſeceſſum ab vrbe moneret, & ipſe in regia ipſa degeret; dum diuitias ſcriptis ſpernendas diffiniret, ipſe verò auidè amplecteretur. Sed Xiphilinus à nullo auditur, ergò ſolus loquitur. Author eſt D. Auguſtinus lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 11. quòd Iudæos palam reprehenderit, Chriſtianos autem iam tunc Iudæis inimiciſſimos, in neutram partem commemorare auſus ſit ne vel laudaret contra ſuæ patriæ conſuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forſan voluntatem. Quo ſatis.a innuit, ſecreto Chriſtianæ fidei adhæſiſſe, quod hoc quoque loco repetit Dexter; ſed ea de re ſuperius actum à nobis eſt, ad annum 64. Chriſti.

a minimè verò ſatis. Lege caput 10. & 11. libri citati conſidera verba cap. 11. *Mirabatur hæc dicens, & quid diuinitus ageretur ignorans.* Si *ignorans*, quomodo Chriſtianus? Expende etiam ipſius Senecæ d e. 10. *Quæ omnia* (ſuperſtitioſi idolorum cultûs) *Sapiens ſeruabit tamquam legibus iuſſa, non tamquam dis grata.* Sic ille inſipiens & fuiſſe contenditur Chriſtianus? ex eo ſcilicet libro quem certiſſimè ſcripſit Ethnicus.

Epiſtolæ quę hodie circumferuntur Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum * non agnoſcuntur pro ſinceris, quamuis non negetur (nec tamen ſatis probetur) ab vtroque ſcriptas ἀμοιβαίας. Audi etiam Lipſij de his iudicium: * *Sed heus Epiſtolas ad D. Paulum non memoramus? Quæ nunc ſunt nō ſunt tanti: imò certum eſt eiuſdē * autoris & Pauli & Senecæ, illas eſſe, & compoſitas à ſemidocto in ludibriū noſtrum. Tentat latinè loqui, quiſquis auctor fuit. Ergo inter ſe non ſcripſerunt? Hieronymus, Auguſtinus, atque etiam antiquior vtroque Linus Pontifex, aſſerunt, & paſſiua opinio olim fuit. Atque adeo Ioannes Saruberienſis fortiter: Deſipere videntur, qui non venerantur eum quem Apoſtolicam familiaritatem meruiſſe conſtat. Itaque reijcere hoc totum & calcare non auſim: fuerint aliqua, ſed alia: ſi iſta, requiro iudicium optimorum Patrum.* Chriſtianum tamen potius quàm philoſophum dicendum, affirmat Otho Friſingenſis.

* Extant apud Sixtum Senenſem.

* p. 25 Introduct. ad Sen.

* vnius nempe, nō duorum eſſe.

Lipſ. p. 21. Introduct.

Quod porro Biuarius docet Xiphilinum ſolum, de vitijs Senecæ loqui, ideoque nec audiri; contra eſt. Nam Xiphilinus omnia illa ex * Dione Nicæo depromſit, cuius verba apponam: *Poſt hæc ſecuta ſunt certamina iudicialia: ex quibus multi exulauerunt, multi interfecti ſunt. In his Seneca reus factus eſt multorum ſcelerum, ſed præſertim, quòd cum Agrippina rem haberet. Nec enim in hac re ſolum, ſed in pleriſque alijs contra facere viſus eſt, quàm philoſophabatur. Cum enim tyrannidem improbaret, tyranni præceptor erat: cumque inſultaret ijs qui cum Principibus verſarentur, ipſe à Palatio non diſcedebat. Aſſentatores deteſtabatur, cùm ipſe reginas coleret & libertos, ac laudationes quorundam componeret. Reprehendebat diuites is cuius facultates erant aureorum tricies centena millia: quique luxum aliorum dānabat, quingentos tripodas habuit de ligno cedrino, pedibus eburneis, ſimiles & pares inter ſe, in quibus cœnabat. Ex quibus omnibus ea quæ ſunt his conſentanea, quæque ipſe libidinosè fecit, facilè intelligi poſſunt. Nuptias enim cum nobiliſſima atque illuſtriſſima fœmina contraxit: delectabatur exoletis, idque Neronem facere docuerat: & ſi antea tanta fuerat morum ſeueritate, vt ab eo peteret, ne ſe oſcularetur, neue vnà ſecum cœnandi cauſa diſcumberet.*

* Dio Nicæus in Nerone p. 721. Hiſ. Aug. & n. 4

Et mox * infrà impuliſſe Neronem fertur ad necem matris Agrippinæ. *Ad id facinus*, inquit Dio, *vt à permultis fide dignis hominibus dictum eſt, Seneca eum incitauit, ſiue crimen à ſe deriuare cuperet ſiue Neronem ad nefariā cædē faciendam perduceret, vt eum quàm celerrimè Dij homineſque perderent.* * num. 5.

Non ergo Xiphilinus ſolus, nec Dio Nicæus ſolus. Audi etiam Tacitum in Nerone: *Nec Suilius queſtu aut exprobratione abſtinebat, præter ferociam animi extrema ſenecta liber & Senecam increpās, infenſum amicis Claudij, ſub quo iuſtiſſimum exilium pertuliſſet. Simul ſtudijs inertibus, & iuuenum imperitiæ ſuetum, inuidere ijs qui viuidam & incorruptam eloquentiam tuendis ciuibus exercerent. Se quæſtorem Germanici: illum domus eius adulterum fuiſſe. An grauius exiſtimandum, ſponte litigatoris præmiū honeſtæ operæ aſſequi, quàm corrumpere cubicula principum fœminarum? Qua ſapientia, quibus philoſophorum præceptis, intra quadriennium regiæ amicitiæ ter millies ſeſtertium parauiſſet? Romæ teſtamenta & orbos, velut indagine eius capi: Italiam & prouincias, immenſo fœnore hauriri. At ſibi labore quæſitam & modicam pecuniam eſſe. Crimen, periculum, omnia potius toleraturum, quàm veterem ac olim partam dignationem ſubitæ fœlicitati ſubmitteret. Nec deerant qui hæc iiſdem verbis, aut verſa in deterius Senecæ deferrent.* P. Suilius p. 785.

Accuſatus etiam cum Iulia Germanici filia de adulterio, & vterque (Iulia & Seneca) in exilium deportatus; quod tamen adulterium excuſat & purgat * Lipſius, eique iniuriam factam docet. Sed affirmat Suillius, Dio & Xiphilinus. Qualis ergo Chriſtianus? Occultus inquis. Equidem tam occultum fuiſſe reor, vti nec ipſe quidem Seneca ſciuerit ſe Chriſtianum eſſe. Atque hæc contra Dextrum & Biuarium.

* p. 17. de vita & ſcriptis Senecæ.

Eod. lib. 1. epigram. 17.

Ad Auitum eſt carmen,

Sunt bona ſunt quædam mediocria &c.

De hoc Aulto, vt putat Biuarius ad annum 105.n.6.ſcripſit Dexter. *Auito, qui profectus poſt ad Inſulas Fortunatas Martyr fuit.*

Legitur tamen de Auito V.C. & legato Imperatoris apud Tacitum in Nerone, ibi multa eius mentio, nihil tamen ad noſtras fides.

Lib. 1. Epigr. 13.

De Regulo.

Quem hoc loco Regulum ſeruatum ex porticus ruina Martialis intelligat nobis clarum eſt, in Commentario ex Plinio Minore ſuis coloribus depictum. Sed vehementer ambigo, quem nobis Regulum Dexter & Biuarius proponant: Nam ita Anno Chriſti 60.n.4. Dexter. *Regulus conuerſus in Galæcia ſanctè agit in luco.* Conuerſum Biuarius Anno Chriſti 42. ait p.121. locum illum
p.120. Dexter. Biuarij ad 42. quem citat ex Breuiarijs Hiſpaniæ & ex Petro Equilino ſeu de Natalibus in Petro nondum inueni. Alius Regulus apud Petrum in Catalogo deſcribitur, qui à Dionyſio Areopagita Arelatenſis Epiſcopus in Gallijs deſtinatus eſt. De Galæcia & Hiſpania & luco nullum verbum. Alius Regulus apud Tacitum laudatur in Nerone vir Conſularis anno Chriſti 64. cum T. Virgilio Ruſo Conſul. Sed ſi fuit hic Memmius Regulus Conſul Romæ anno Chriſti 64. quomodo 42 anno conuerſus 60 ſeceſſit in Galæciam? Taceo Regulum illum, qui in Africa Epiſcopus in Tuſcia poſtea Italiæ ſub Totila Martyr occubuit, qui nihil ad annos Dextri Ergo vel nullus fuit hic Biuarianus Regulus, aut mihi ignotus. Martialis enim Regulus vſque ad 100. annum Chriſti vitam propagauit, & vſque ad mortem Domitiani cauſſas egit.

Alius ergo eſt ab hoc Dextri Regulo, Regulus qui tempore Neronis & Domitiani cauſas, egit Romæ, quem ſæpius epigrammatis celebrauit Martialis, improbus olim & bipedum nequiſſimus captator & delator, ingentes opes collegerat, quem Plinius Minor, Tacitus & alij acerrimè perſtrinxerunt. Recognoſce nobis annotata ad epigram. 13. lib. 1. Martialis, vbi totum illius ingenium perdiſces.

Lib. 2. Epigram. 5.

——— ἰχθυοκόλλαν ***Seuere.***

Salmaſius ex M.S. emendat hanc vocem, & ſcribit ἰχθυοκόλλαν opponitque πρωτοκόλλῳ Meâ ſententiâ vtraque ſcriptura commodum videtur habere ſenſum.

Lib. 3. epigram. 47.

Capena grandi porta, qua pluit gutta.

Baronius ad 9. Iulij, diuerſas aquas & fontes affirmat. Guttam iugiter manantem, & guttam
* Ad aquas Saluias. largè fluentem. Martialem accipiendum de gutta largè fluente.* Ad guttam iugiter manantem Zenonem Martyrem cum decem millibus & ducentis ſocijs tertio ab vrbe lapide paſſum docet. Grandis gutta videtur eſſe largè fluens, de qua Martialis etiam lib. 4. epigram. 16.

Qua vicina pluit Vipſanu porta columnis.

Lib. 3. epigram. 67.

Veterno Reſinaq; pigriores.

Quam varia huius verſus & loci lectio ſit, expoſui in Commentarijs, teſtatus, mihi aquam hærere, nec ab vllo ſcriptorum ſatisfactum. Nunc Philippus Cluuerius in Italiæ Antiquæ libr. 1. cap. 35. manum porrigit, quæ & errantem ex Labyrintho educit, quando verſum ex Plinij deſcriptione ita reſtituit:

Vatreno Eridanoq; pigriores.

Cauſamque ſuam ita agit Cæterum Plinius ſuæ ætatis magni Padi os, quod nunc vocant portum primarium, dictum fuiſſe tradit Portum Vatreni. *Proximum inde oſtium, inquit, magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur.* Additque ſtatim rationem huius appellationis: *Auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Foro Cornelienſi agro.* Augebant equidem Paduſam alij quoque amnes ex Apenninis montibus profluentes: Sabina, Idex, Galliana, Silarus, Sennus, Animo: ſed maximus inter eos erat

Vatrenus

Vatrenus ex agro defluens Foro Cornelienſi: quod opidum nunc vulgo dicitur Imola; vt ſuprà cap.23.in Boijs Gallis oſtenſum. Is amnis cùm iam inde in antiqua tabula Itineraria ſit Saternus & hodieque vulgo dicatur adcolis Santerno, vehementer equidem ſuſpicabar, corruptum eius eſſe nomen iſto loco apud Plinium;niſi eodem modo apud Martialem quoque reperiſſem lib. 3. epigramm.66.quod legitur huiuſmodi in vulgatis exemplaribus:

Ceſſatis pueri;nihilque noſtis
Vatreno reſinaq; pigriores.&c.

In his verbis vocabula iſta,*Vatreno reſina,*variè in varijs leguntur exemplaribus; illud, *vatro,* vatrina, vaterno:hoc *Raſina,Ratina Retina.* vbi quidam etiam Commentatores ſiue interpretes corrigere voluerunt,hoc in *remora* illud in *veterno*:alij vtrumque in *Veientone aſinaq;*: alij in *Reſina venetoq;*,alij *Aternoque Sapique* & nouiſsimè quidam Aternoque vitique:vel, ſi hoc minus placeret, *vatreno Teſinaque* vel denique *Vatreno.Retenoque.*Sed veterno omnino mihi laboraſſe videntur,qui ſcribendum hic cenſuerunt *Veterno reſinaque pigriores*:item illi, qui Veientone aſinaque, quippe amnes duos intellexiſſe poetam,apertè clamant verſiculi ſequentes iſti

Quorum per vada tarda nauigantes
Lentos tingitis ad celeuſma remos.
* *

At vos tam placidas vagi per vndas
Tuta luditis otium carina.

Atque ex iſto quidem epigrammate 63.ille ſuum ſomniauit *Reſina venetoq; pigriores.* Vtens & Sapis amnes ſunt circa Rauennam;quorum ille *Montone* vt ante dixi,hic *Sauio* vulgo nunc vocatur; vltra Picenum verò *Aternus* vulgo nunc appellatur *Peſcara* vnà cum opido ori eius appoſito. *Teſina* agri eſt Vicentini, in Meduacum minorem infra Vicentiam confluens.Horum omnium planè ignaros ſeſe produnt,quotquot coniectant,hos vel illos ex ijs ſcripſiſſe Martialem. quippe nullus eorum eſt piger tarduſue aut lentus:ſed cuncti ſunt veloces.Et quomodo, quæſo, ſiue *Aternum* cum *Sapi*,ſiue Vtentem cum Aterno,ſiue vatrenum cum Teſinà,amnes longè inter ſe diſtantes, poeta coniunxiſſe potuit, cùm de fluminibus vno eodemque die ſibi nauigatis ſe loqui,apertè indicet verbis præſentis temporis,*tingitis*,& *luditis*:tum maximè quòd ait *iam exarſiſſe diem,& horam meridianam interiunxiſſe laſſos equos.*Hæc non animaduertiſſe iſtos poëtæ Commentatores,equidem ego miror. *Eretenus* fluuius Aeliano memoratus, ſiue vt Fortunatus eum nominat *Retenus* inferiore equidem ſui parte per paludes, vt ſupra cap.18. in Venetis retulimus, lentus trahitur,at hic etiam longius ab Vatreno abeſt, quam vti vtrumque vno die pernauigare queas. Verùm de Vatreno hic poetam loqui,minimè fit veriſimile prædictis Commentatoribus:ſcilicet quod disertè Plinius prodat, *Padi quoddam oſtium magnitudinem portus habere qui Vatreni dicitur,quo Cæſar Claudius prægrandi naui Hadriam intrauerit.*Proinde aliud quiddam heic inueſtigandum eſſe exiſtimant in locum Vaterni aut Vatreni,nec illa coniectatio ſatis ipſis placet, *Vatreno Eridanoq; pigriores*:quòd Vatrenus Plinianus non modicus fuit amnis: nec Eridanus fluit tam lentè & tardè.Sanè Saternus amnis apud Imolam equidem & ſuperiore ſui parte aliquanto concitatior fertur: at infra id opidum vbi iam paludibus ac Pado appropinquat, lentiſsimus fluit:quia heic magis in profundum infra ſeſe agitur.Hunc autem Padi alueum,quem Vatrenus auget,an non Eridanum propriè vocitatum fuiſſe,diſertè adfirmat Plinius?& cum idem appellatus ſit Padusa:an non hunc in ſtagna ſeſe diffudiſſe,cum Virgilio teſtantur Claudianus atque Seruius? placidamque inde vocat Paduſam Valgius? quod ipſum diſertiſsimè expreſsit ac graphicè Martialis his verbis:

At vos tam placidas vagi per vndas
Tuta luditis otium carina.

Vagos dixit;quia hinc inde per Vatreni Paduſæque placidas paludes ſiue placida ſtagna ferebantur ludibundi.Omnino itaque legendum exiſtimo.

Vatreno Eridanoq; pigriores.

Et quamquam altera illa vox *Vaterno* propiùs accedat ad Tabulæ Itinerariæ vocabulum *Saternum*, hodiernumque nomen *Santerno*; tamen nihil temerè hic immutandum cenſeo; quando præſcriptæ illæ voces *votro* & *votrina* diſerta Vatreni veſtigia referunt. Egiſſe autem circa hæc Galliæ Togatæ loca Martialem,librumque hunc tertium inibi confeciſſe, ipſe teſtatur carmine mox primo, quod præfationis loco compoſuit ad Lectorem huiuſmodi:

Hoc tibi quidquid id eſt longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ nomine dicta togæ.
Hunc legis,& laudas librum fortaſſe priorem
Illa vel hæc mea ſunt quæ meliora putas,
Plus ſanè placeat dominâ qui natus in vrbe eſt,
Debet enim Gallum vincere verna liber.

Epi-

Epigrammate verò quarto, locum quoque ſiue opidum edit, in quo per id temporis hæſerit his verbis:

Romam vade liber, ſi veneris vnde requiret,
Aemilia dices de regione viæ.
Si quibus in terris, qua ſimus in vrbe, rogabit;
Corneli referas me, licet, eſſe Foro.

Et excurriſſe nonnunquam in vicinam vrbem Rauennam patet ex Epigrammate 56. quod tale eſt:

Callidus impoſuit nuper mihi Caupo Rauennæ,
Cùm peterem mixtum vendidit ille merum.

Solitus igitur eſt nauigio eo proficiſci per Vatrenum amnem Paduſam. & Auguſtam foſſam. quod iter in ſupraſcripto epigramm. 66 innuit. Hæc Cluuerius.

Reſtat tamen adhuc in animo ſcrupulus nondum exemtus, quod in voce *Eridano* longius abeatur ab vſitata & priſca lectione, nullamque cum illa cognationem habeat. Taceo durum vocalium concurſum & eliſionem *Vatreno Eridanoq;*, quæ non ſapiunt rotundum Martialis genium, quamuis idem non ab omni eliſione abhorreat, ſed duriore.

Lib. 3. Epigramm. 98.
AD CERDONEM.
——*licuit ſi iugulare tibi?*

Sit fortaſſe qui putet τὸ *iugulare* non referendum ad arenam, in qua vtique non ſuis, inquiat, manibus iugulabat, etiam cum munus daret: ſed ad quæuis animalia, quæ ad vſum Corij (vt còniicio) iugulabat illa natio, vt hodie ſordidiſſimæ conditionis homines (carnifices & canicidæ) qui equos & vetulos boues aliaſque animantes illis multò * fœdiores morte extinctas & abiectas vel iugulatas, arripiunt, pellibuſque exuunt, detractaſque cadaueribus vendunt.

* canes feleſque.

Enimuero ſi ita carmen exponas, itaque *iugulare* accipias, & ad animalia, non homines referas, perit tota vis argumenti. Quæ enim vis eſſet: Cur ludere homines nobis non liceat, ſi licuit tibi iugulare equos?

Referendum ergo ad homines, vt expoſui: non ad animantes.

Lib. 3. epigr. 23.
Cur non menſa tibi ponitur à pedibus.

Ita Lucillius:

εἰ δ' οὕτω τοῦτ' ἐστι σὺ τοὺς δούλους κατάκλινον,
ἡμεῖς δ' αὐτοῖσι πρὸς πόδας ἐρχόμεθα.

Si ita eſt, inquit, ſi hoc facere tibi decretum eſt, vt pueris omnia opſonia porrigas, cur non illos iubes accumbere, vt nos tibi eorum vicem adſtemus & miniſtremus.

Lib. 3. Epig. 59.
——*nunc vbi Caupo dabis?*

Non bene mea ſententia referuntur hæc verba Martialis à quibuſdam ad *munus* ſeu Menſam cauponis, quaſi poeta cupiat à Caupone gratis inuitari ad menſam. Puto nunquam hanc ſententiam fuiſſe Martiali in mentem, quod parum ad carmen faciat. Poteſt tamen aliquo modo in iocum trahi.

Lib. 4. Epigram. 36.
——*Sed poteſt, Ole, comam.*

Quid ſi (inquit ex amicis quidam minimè indoctus) *innuat Poeta, vt plus comam tingat Aquis, abluatque nigrorem factitium, vt ſic capillus barbæ reddatur concolor: iocus ex abſurdo.* Duriuſculum hoc nobis videtur. Olus vel more veterum, raſerat barbam, quæ tingi non poterat; vel Eunuchus fuit, vt qui omnino careret barba, & ita tingi non poſſet.

Lib. eod. Epigr. 39.
Quare non habeas, Charine, purum.

Quia furtiuum quiſpiam fortaſſe interpretetur. Non videtur ſatis aptus huius epigrammatis intel-

intellectus. Seruo meam interpretationem de impuro Charini ore, quod flagitijs impurabat.

Lib. cod. Epigram. 40.

——*Poſtumus impoſuit.*

Nulla enim, inquit S. Hieronymus epiſtola 4. *amicitia vera fuit, quæ deſinere poteſt.*

Lib. cod. Epigram. 55.

Arpis cedere non ſinis diſertis.

Lucium Hiſpanum poetam æmulum Horatij diximus ex noſtra & aliorum mente. Sed eſt qui obnunciet, negetque Horatium intelligendum illis verbis *Arpis diſertis:* primùm quod Arpi longiuſculè abſint à Venuſio Horatij patria; deinde quod vox *diſertis* non conueniat poetis. Reſpondeo ſatis videri quod Arpi ſint in Apulia: ſicut Horatius in eadem regione vixit, nec alius poeta Arpenſis extet. A vicino ergo loco Horatium laudauit. Deinde verum non eſt vocem *diſertus* non tribui poetis: Certè noſter hic ipſe Martialis diſertos appellauit verſus in Laberium, lib. 6. epigram. 14.

Verſus ſcribere poſſe te diſertos
Affirmas Laberi; quid ergo non vis?
Verſus ſcribere qui poteſt diſertos
Non ſcribat Laberi, virum putabo.

Diſertus ergo rectè poeta dicitur, qui verſus facit diſertos, καταχρηστικῶς vti ſæpe loquuntur. Legantur etiam verba Gyraldi quæ in Commentarijs adduxi lib. 4. hiſt. poeticæ: *Poſthunc* (Clodium intellige) erat Lucius Hiſpanus, qui Horatium Flaccum imitatus eſt Domitiano Cæſare. An verò Regulus fuerit Hiſpanus, an Romanus, an denique Arpenſis, non conſtat. Si Arpenſis fuiſſet, non diffiteor, quin optime in illum verſus ille quadraret:

Arpis cedere non ſinis diſertis.

Eodem libro epigr. 58.

Num plorare pudet te puto Galla virum.

Dixi ſub finem explanationis huius carminis, ex triplici ſcriptura *num, nam, non*, magis arridere *nam* vel *non* ſine nota interrogationis. Nunc placet omnino repudiare illud *num*, & probare τὸ *Nam puto.* quamuis τὸ *non* etiam commodum ſenſum admittat.

Lib. 5. epigramm. 12.

Quod nutantia fronte perticata.

Perticæ Martiali ſunt, quibus onera portabantur, atque inde perticata frons Maſclionis.

Lib. 6. epigram. 69.

Non miror quod potat aquam tua Baſſa, Catulle,
Miror quod Baſſi filia potat aquam.

Hoc diſtichon in prima editione poſui; in altera & tertia expunxi. Sed amici quidam intimè reponendum exiſtimarunt, meamque ſententiam alteram in prima edirione probarunt. Quæ erat: An poeta miratur quod Baſſi filia bibat aquam, cùm pater potor inclitus tantùm bibat merum. Itaque negant Baſſam fuiſſe Lupam: & verſum exponunt, vt in hexametro *tua* capiatur cum energia: Cùm tu Catulle vir ſis minimè vxorius, ſed noris tuam Baſſam maritali poteſtate coercere, non miror eam aqua contentam abſtinere vino: alioqui ſanè mirum eſſet, Baſſi filiam hominis vino dedit, potare aquam. Itaque quod domi paternæ non didicit, hoc domi tuæ diſcit, tanta vis eſt diſciplinæ in ætate etiam adulta. Poteſt & alio ſenſu explicari: Miror Catulle Baſſam non potare vinum, ſed aquam. Admirationis cauſſa, non tam eſt exemplum tuum hominis ſobrii, nec diſciplina, qua Baſſam vxorem coerces, ſed bibacitas Baſſi ſoceri tui tanti potatoris, vt mirum ſit, filiam eius potare aquam. Non ait: Alioqui mirarer, ſeu mirum eſt. Prima tamen ſententia mea non eſt omnino vana. Docet hoc ſimile carmen lib. 2. epiſt. 50. de Lesbia. Martialis eſt nequam, & Doctor nequitiarum, quas pauci norunt.

Lib. 6. epigram. 38.

Iam clamor centumq; viri ——

Multa

Multa ad hoc carmen ſuo loco dicta ſunt. Tu tamen Plinij Iunioris epiſtolam quartamdecimam lib. 2. hic leges, quæ tota eſt de Centumuiralibus cauſis & actoribus, vbi veterem agendi formam penitus corruptam docet. Cuius initium eſt: *Verum opinaris.*

Lib. 7. Epigr.

Maximus ille tuus Ouidi Cæſonius hic eſt.

p. 190. n. 3. Hunc Q. Ouidium Dexter ciuem Romanum Epiſcopum Bracarenſem facit, qui S. Baſilio Bracarenſi ſucceſsit. Ad hunc Dextri locum ita Biuarius: *Si S. Ouidij quo floruit, tempus, atque Dextri inſtitutum ſpectemus, illum crediderim fuiſſe, qui Cæſonio Maximo in exilium à Nerone acto comes ſpontaneus fuit, qua de re Martialis duo dedit epigrammata in lib. 7. quæ nos cùm de Cæſonio egimus, ad annum 66. tranſcripſimus, cuius etiam Natales Apriles in lib. 9. bis cecinit.*

Primum, Epigramm. 53.

Si credis mihi Quinte
Natales Ouidi tuas Apriles
Vt noſtras amo Martias Kalendas.
Felix vtraque lux, dieſque nobis
Signandi melioribus lapillis!
Hic vitam tribuit, ſed hic amicum
Plus dant, Quinte, mihi tua Kalendæ.

Item alio epigrammate, videlicet 54. videlicet 53. quod incipit Natali tibi Quinte, *&c. Ad ipſum quoque datur epigramma 85. libr. 1. & epigr. 99. libri 9. Cum iam Bracarenſis eſſet Epiſcopus, ad fidem martyriumq; perduxit ſanctas Marinam, Quiteriam & ſorores; cuius rei extat elegans hymnus apud Epiſcopum Tudenſem & Pampilonenſem Sandoualem in libro Epiſcoporum Tudenſium, vbi inter alia hæc lego:*

Gaude Sacerdos Ouidi
Tu Braccarenſis Pontifex
Qui meruiſti filias
Tot, ad Polos tranſmittere.

Verſum Ouidij Phaleucium corrupit Biuarius, qui pro *quod mereris* ſcripſit *quod mireris.* Nec opus parentheſi. Noli cogitare Chriſtianum hunc Ouidium, fuiſſe P. Ouidium Naſonem, qui iam extinctus erat, vt ipſe Dexter ſuprà annotarat.

Lib. 10. Epigram. 19.

Facundo mea Plinio Thalia.

Plinium hunc minorem, cuius extant Epiſtolæ & Panegyricus ad Traianum, Dexter ait fuiſ-
Plinius Iunior martyr. ſe Chriſtianum, & Martyrem, cui Biuarius adſtipulatur. Verba Dextri ſunt: *Titus cognomento iuſtus Epiſcopus factus, ſecutus primo S. Paulum, mox Eugenium, prædicat in Carpetania, vbi eius memoria magnitudoq; miraculorum celebratur. Is Titus conuerterat ad fidem Plinium Iuniorem ex Bithynia, Pontoq; redeuntem in Creta Inſula, vbi iuſſu Traiani Ioui templum erexerat. Nec deſunt qui putent vii. Sex-*
p. 270. A C. 120. mendoſè. *tilis ad Nouocomum eſſe paſſum.* Hæc Dexter.

Ad hæc Biuarius: *Sed vnde habemus, in Creta Plinium Secundum Iuniorem ad fidem perductum ope-*
p. 273. *râ S. Titi? Ex actis ipſius, quæ Zena Legiſperitus & Apoſtoli diſcipulus ſcripſit, refertque Equilinus citato loco, vbi cum Zena, cùm præmiſiſſet Titum in Cretam iterum reuerſum, multos ad Chriſti fidem perduxiſſe,*
* fanum *ordinaſſeq; presbyteros & diaconos, ſubdit: Cùm die quadam tranſiret ante * Palatium, quod Secundus Proconſul (is erat Plinius Secundus Iunior) iuſſu Imperatoris in Iouis nomine conſtruebat, maledixit illud; & ſtatim opus funditus diſſipatum eſt. Nonne id dixerat Dexter illis verbis? Is Titus conuerterat ad fidem Plinium Iuniorem in Creta inſula, vbi iuſſu Traiani Ioui templum erexerat? Subijciunt acta, Tunc Secundus venit ad Titum cum lacrymis rogans, ſe indemnem ab opere conſeruari. Cui Titus impoſuit, vt opus in nomine Vnius Dei Chriſtianorum inciperet, & ſic opus perficere poſſet, quod & factum eſt. Completo verò opere Secundus cum filio ſuo baptizatus eſt. Fuit hic nepos ex ſorore C. Plinij Secundi, cuius de natura rerum extant inſignes Commentarij: ipſius verò Plinij Secundi Iunioris extat liber Epiſtolarum & Panegyricus Traiano Cæſari dictus, quo gratias agit conſulatus eius auſpicijs adepti. Is etiam Hiſpanis nonnulla contulit beneficia; nam Quintiliani filiam pauperem dote iuuit, & Martialem Poëtam ab Vrbe in Hiſpaniam ſecedentem, viatico proſecutus eſt, vt ipſe in Epiſtolis teſtatur. De Martyribus ſub Traiano paſsis agit ipſe l. 10. Epiſt. 97. Ceterùm ipſum tandem Nouocomi patria ſua martyrium ſubijſſe, inde nonnulli putant haberi, quod die 6. Auguſti ſeu Sextilis, cum alijs quinque reperitur in Romano Martyrologio inter alios Martyres*
* vnde hoc? *quidam nomine Secundus, nam in eo ſic legimus: Nouocomi paſsio Sanctorum Martyrum Carpophori, Exanthi, Caſsij, Seuerini, Secundi & Licinij, qui in confeſsione Chriſti, capite truncati ſunt. Meminit ipſorum*
Mar-

Martyrum Galeſinius ex veteribus monumentis Eccleſiæ Mediolanenſis, Bergomenſis & Aquileienſis. Ignorarunt ſanè hiſtoriam iſtam Comenſes ciues, dum anno Domini 1498. pro foribus ædis B. Virginis, ſui Conciuis Iunioris Plinij marmori incidi curarunt huiuſmodi inſcriptionem ſine Martyris titulo, quam Volaterranus refert lib. 18.

C. PLINIO CAECILIO SECVNDO,

Qui conſulatu, Auguratu, Militiæ geſtis, ac orandis cauſis, Poëmatibus & hiſtorijs conficiendis, Cæſare Traiano Auguſto luculentiſſimè laudando, adficiendaq́; immenſâ liberalitate patriâ ſuâ, eidem immortale contulit ornamentum: Ordo Comenſis Conciui ſuo deſiderabili, honore accepto monumentum poſuit:

M. CCCC. LXXXX VIII. Kal. Maij.

Functus eram, ſed iam veteri præclarus honore,
Viuebam, perij: nunc quoque vita mihi eſt.

Laudauit hunc Martialis poſtea viatico adiutus Epigr. 19. lib. 10.

Nec doctum ſatis & parum ſeuerum,
Sed non ruſticulum nimis libellum
Facundo mea Plinio Thalia
I, perfer; breuis eſt labor; peracta
Illic Orphea protinus videbis
Altum vincere tramitem Suburræ
Vdi vertice lubricum theatri,
Mirantesque feras, auemq́; Regis,
Raptum quæ Phryga pertulit Tonanti.
Illic parua tui domus Pedonis
Celata eſt Aquila minore penna.
Sed ne tempore non tuo diſertam
Pulſes ebria ianuam, videto.
Totos dat tetricæ dies Mineruæ
Dum centum ſtudet auribus virorum
Hoc quod ſecula poſteriq́; poſſint
Arpinis quoque comparare chartis,
Seras tutior ibis ad lucernas.
Hæc hora eſt tua, dum furit Lyæus
Cùm regnat roſa, cùm madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

Atque hæc prolixè de Plinio Iuniore Biuarius ad Dextrum. Sed enim multum fallitur in eo Biuarius, quòd Plinium Nouocomi, cum Carpophoro, Exantho, Caſsio & Licinio paſſum tradat, 7 Auguſti
eo quod ibi cum his nominetur quidam Secundus, illumque Secundum fuiſſe hunc Plinium putet. Nam illi Martyres paſsi ſunt Nouocomi centum & ſeptuaginta quinque circiter annis poſt Plinium, qui ſub Traiano vixit & ſcripſit; Traianus autem anno P.C.N. 120 imperator obijt. Illi ſub Maximiano, qui anno 285. imperare cœpit, paſsi ſunt. Vide Ferrarium 7. Auguſti.

Lib. 10. Epigr. 93. ſeu 92.

Si prior Euganeas Clemens Heliconis in oras.

Fruſtra eſt Biuarius Commentario ad Dextrum, qui hunc Clementem tradit fuiſſe Flauium Clementem Conſularem, quem impius Domitianus propter religionem Chriſtianam interfecit. Nam decimus Martialis liber, ſcriptus eſt iam extincto & interfecto Domitiano, in quo celebrat Traianum Domitiani ſucceſſorem. Legantur 6. 7. 34. Epigrammata libri decimi, & plura ſequentibus libris. Non immeritò tamen miratur vel potius dolet Baronius in primo Annali nullam Clementis conſularis in ſacris martyrologiorum Faſtis mentionem fieri. Sed is nihil ad hunc locum, quem Dexter 21. Nouembris ſignauit.

Lib. 9. Epigramm. 31.

Cappadocum ſæuis Antiſtius occidit oris Ruſticus.

An hic Antiſtius Ruſticus, fuerit Martyris Ruſtici Bolani Florentij pater, incertum. Laudat hunc Biuarius ſub 110. & 116. Annum Chriſti ad Dextrum.

Epigr. 53. Lib. 12.

Paternus) Exiſtimat Biuarius Paternum hunc à Martiale perſtringi de auaritia, Phaleucio in lib. 12. poſito, cuius initium:

Numini cùm tibi ſint opeſq; tanta,
Quantas ciuis habet, Paterne, rarus,

Et quæ ſequuntur. eundemque Pontificem primum Conſtantiæ in Germania egiſſe. *Epi-*
A.C. 94. 118. & 129. *ſcopus*, inquit, *hic & Martyr Conſtantienſis* &c. Dexter in Gallia (in qua olim Conſtantia cenſebatur) paſſum tradit. Rurſus de eodem Bivarius: Aulus Altimus Paternus) *Conuerſionem ipſius retulimus ad annum 76. prædicationem Bilbilitanam ann. 94. famam ſanctitatis ann. 112. Eluſenſium fuiſſe Pontificem teſtatum reliquit Iulianus Archipresbyter S. Iuſtæ in Chronico ad ann 132. cuius eo anno verba afferemus Fundanit deinde Eccleſiam Conſtantienſem, vbi pro Chriſti nomine martyrio vitam finiuit, de quo Martyrologium Romanum die 23. Septembr. In territorio Conſtanſtienſi S. Paterni Epiſcopi & Martyris. Meminit eius Demochares de Sacrificio Miſſæ, aſſeritq; fuiſſe primum Epiſcopum Conſtantienſem.*

Hæc & his paria leguntur apud Dextrum & Dextri Scholiaſten atque Apologiſtam. Optaodum omnia eſſe vera, certa, & indubitata. Hoc voueo Senecæ, Plinio Minori & alijs hic expreſsis.

Extant ad Paternum aliquot Epiſtolæ apud Plinium Iuniorem. Ego fictum hoc loco nomen Paterni à Martiale, ſicut Auiti, Sabelli, & aliorum quorundam exiſtimo, quamuis interim eodem nomine veri quidam homines extiterint. Nam quandocumque perſtringit carmine aliquem, fingit nomen, ſicut ipſe teſtatur: lib. 10. epigr. ad Numatium Gallum:

Hunc ſeruare modum noſtri nouere libelli
Parcere perſonis, dicere de vitijs.

Lib. 12. Epigramm. 9.

Palma regit noſtros——

En Palma hic Chriſtianus. De hoc ita Dexter: *Anno Chriſti 91. Cum A. Cornelio Palma V.C. Ciue Toletano, Duûmuiroque Chriſtiano Toletum venit M. Marcellus.*

Hic Palma Duumuir Toletanus poſtea anno Chriſti 101. Traiano Imperante Conſul Romæ factus eſt.

De quo Martialis ad Traianum Cæſarem:

Miſiſti mores in loca noſtra tuos.

Vbi Martialis & Traianum laudat, & Palmam ſimilem Traiano. Malè aliqui Cæſarem hic Domitianum pro Traiano obtrudunt, qui iam pridem erat extinctus.

Eſt præterea lib. quoque 12. epigr. apud Martialem nonum & trigeſimum in Sabellum:

Odi te, quia bellus es, Sabelle,
Res eſt putida, bellus es Sabelle,
Bellum denique malò quàm Sabellum.
Tabeſcas vtinam Sabelle belle.

Expoſui quidem hos Martialis Phaleucos prout mens tunc ſuggerebat, nec tamen ipſe mihi ſatiafeceram. Nuper ab erudito & ingenioſo quodam amico (cuius nomen expreſſiſſem, niſi ipſius modeſtia mihi obſtitiſſet) admonitus alium verſus illius

Bellum denique malo quàm Sabellum,

ſenſum eſſe; qui mihi valde arriſit. Bellum namque hoc loco non ἐπιθέτως, ſeu, vt Grammatici loquûntur, adiectiuè, ſed ſubſtantiuè accipiendum eſſe, pro armis inquam & prælijs,

Bellum malo quàm Sabellum.

Ita odi Sabellum, vt malim atrociſsimum bellum quàm putidiſsimum Sabellum. quam interpretationem totam ex mente poetæ arbitror.

Idem ad libri noni Epigramma 83. Aulo inſcriptum ita ſentit: De epigrammate, inquit, *Lector & auditor* ſaluo doctiorum iudicio ita ſentio. Sicut cocus præparat conuiuis, ſic poeta lectori & auditori. Aliquando autem & cocus & poeta, quamuis in ſua quilibet arte periti, more magnorum ingeniorum adeo moroſi ſunt, vt ſibi ſatisfacere non poſsint, cùm tamen ijs ſatisfaciant quibus laborant; & quemadmodum cocus ſi conuiuis ſatisfaciat, nihil amplius curare debet, ſic Martialis rectè dicit, *Non nimium curo*, ipſe enim eſt poeta, qui ſuoſmet libellos exactos eſſe negabat, quique maluit conuiuis quàm cocis, id eſt alijs quàm ſibi placere. Vtique enim alludit ad ſuum cognomen Coci, quod de nihilo non eſſe ſatis indicat Salmaſius, cum fatetur de veteribus libris ipſius Martialis. Quid ego de cognomine Coci ſenſerim in Prolemmatis ad Martialem cap. 1. expoſui, & omnia alia ſenſi, carmenque hoc lector & auditor planè ad alium ſenſum traxi, à quo nondum placuit diſcedere, nec Claudius Salmaſius fauet falſo cognomini Martialis, quod dictus ſit Cocus. Nam hæc ſunt verba Salmaſij ad Lampridium in Alexand. Seuero nota 41. *De Coci cognomine, quod vulgo Martiali attribuunt veteres eius libri, aliàs viderimus: nunc hoc tantùm hic habemus dicere*, Coci, *hoc loco non agnoſci à veteribus membranis, nec ab editione prima. Sic enim in omnibus probè planeq; expreſſum eſt: Vt Martialis epigramma ſignificat. nec aliter vetuſtiſsima excerpta Spartiani.* Hæc Salmaſius. qui contrà potiùs exiſtimat Martialem nunquam dictum Cocum, ſi prima auctorum exempla & membranæ Scriptorum inſpiciantur. Vide Prolemmata noſtra ad Martialem

Porro

Porro illud eiuſdem poetæ Monoſtichum, lib. 7. cap. 97.

Omnia Caſtor emis, ſic fiet vt omnia vendas.

Verè mea ſententiâ & ingenioſè explanat, quando dicit: *Emere & vendere* eſt perpetuum inter homines. Quod ſi vnus emat omnia, vendet etiam omnia tamquam vnicus mercator Mundi, & hæc ioco. Illud ſerium: *Homines nimis* emaces contrahunt magnum æs alienum, quod vt diſſoluant, coguntur omnia vendere.

Lib. 14. Epigr. 125.

Attrita veniet ſportula ſæpè toga.

Salmaſius in Spartiani Adrianum legit: *A tritâ veniet ſportula ſæpe togâ.* Rectè hoc: Sed vulgaris ſcriptura attrita non incommodum habet ſenſum & prope eundem. Itaque neutra lectio damnanda; magis tamen placet ſi diuidas, & reſcribas cum Salmaſio: p. 7. n. 13. lit. E.

A tritâ veniet ſportula ſæpe togâ.

Ad quod diſtichon idem plura.

Lib. 14. epigr. 65.

——*Pro puero proderit ipſe ſibi.*

Varia eſt huius loci ſcriptura. Legunt alij: *proderis ipſe tibi.* alij: *proderit ipſe ſibi*: alij, *pes erit ipſe tibi.* Salmaſius reſcripſit: *pes erit ipſe ſibi: Ita legendum,* inquit, *ſi fortè puer defuerit & ſoleas tibi libeat ſumere, cum ſoleis lanatis poteris ipſe è cubiculo exire, & ſoleas petere, & vicem pueri, pes in ſolea lanata ſupplebit.*

Lib. 13. Epigramm. 68.

Galbula decipitur.——

Salmaſius *Galbinam* vocat, quam ego ſcripturam in ora poſueram. ſed cum apud Ornithographos nuſquam *Galbinam* reperirem, malui vulgarem retinere, quam non damnat Salmaſius.

Lib. 14. Epigramm. 31.

In Pompeiano tectus ſpectabo theatro
Nam ventus populo vela negare ſolet.

Salmaſius hoc diſtichon aliter legit & interpretatur:

In Pompeiano tecum ſpectabo theatro
Mantatus populo vela negare ſolet.

Mantum, inquit, genus veſtimenti breuis. Vide Iſidorum. Vulgo apud Martialem: *Namque Notus populo vela negare ſolet.* Optimus Codex Palatinus: *Mandatus populo.* poſſet tamen & *Mandatus* retineri, nam *mandum* & *mantum* dicebant. Qui, inquit, mantatus eſt in Pompeiano theatro, vela populo ſolet negare, quibus ipſe non indiget. nam qui manto tectus eſt, æquo animo fert vela negata populo. Vela autem negata dicebantur, quæ Theatro non intenderentur. Idem Martialis lib. 9 Epigram. 39.

Et rapiunt celeres vela negata Noti.

Et lib. 2. epigr. 22.

Quàm Pompeiano vela negata Noto.

Sed torta hæc eſt interpretatio. Non enim mantatus ſeu mandatus ſpectator, ſed ventus vela negat, quamuis mantatus æquo animo ferat vela negari, non tamen ipſe negat, vt ex vtroque pentametro patet: Placet etiam:

Namque Notus populo vela negare ſolet.

Lib. 14. epigr. 94.

Nos ſumus audaces plebeia toreumata vitri

Tradit Strabo Romæ vitriarios multa commentos eſſe &c. vt vulgò poculum vitreum aſſe venundaretur. Calices eiuſmodi vitrei, qui Romæ tam vili precio venum ibant, audaces vulgo dicebantur, vt apud Martialem:

Nos ſumus audaces (ita Salmaſius legit) *plebeia toreumata vitri.*

Vitrum non dicebatur audax. Quid ni? quando poeticè materia pro forma ponitur.

Exiſtimat Salmaſius de his loqui Martialem etiam lib. 12. epig. 61.

Cùm tibi Niliacus &c.

Et lib.9.ep.45.v.vltimo,

Aſſe duos calices emit & ipſe tulit.

Incertum hoc:Nam ex alia vili materia poterunt fuiſſe confecti, & tam vili precio.

Lib.14. epigramm,129.

——*Gallia rufis.*

Alia ſcriptura:*ruſſis.* Serui enim eod.habitu quo milites vtebantur, honeſtiorum præſertim dominorum.

Lib.12.Epiſt. 61.

Rex,dominuſque melius referri poterit ad tertiam perſonam *iubeat* quàm ad ſecundam,*neges.*

Lib 5.Epigram.79.

Si triſti domicœnio laboras

Turani——

Hunc Turanium Dexter anno Chriſti 105. Duumvirum Toletanum Catholicum ſcribit, & Turanum appellat,quem Biuarius laudatum & inuitatum à Martiale putat,*Si triſti* &c.

Ego ſanè haud repugnem,ſed pro *Turano* legerim *Turanium.* nam à quinto ſeu vocandi caſu *Turani*,vt eſt apud Martialem,rectus erit Turanius. Eundem reor Turanium& Toranium,ſicut & in orâ varia lectio indicat,ad quem extat eiuſdem Martialis præfatio ſeu epiſtolium lib.9. *Aue mi Torani.* &c.

Epigr.130.Libr.14.

Pœnula ſcortea.

Quamquam ſatis multa de Pœnula tum ſcortea,tum gauſapina,tum etiam ſimplici dicta ſint à nobis,ſi quis tamen plura deſideret,apud Claudium Salmaſium legat in Notis ad Aelium Spartianum p.6.n.22.& p.206.vbi hunc ipſum Martialis verſum adducit:

Ingrediare viam cælo licet vſque ſereno,
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Lib.2.epigramm.22.

Dederas, Apici,bis trecenties ventri

p.8.n.19. lit.D. Ita lege,non,*tricenties.* De hoc modo loquendi, bis decies,bis vicies, bis centena,multa Salmaſius ad Aelium Spartianum.

Lib.3.epigr.57.alias 53.

tonſilique buxeto:

Super hac voce *tonſili*,non pauca idem Salmaſius ad Aelium Spartianum p.22.lit. D. n. 34.ad illa Spartiani. *Et topia. Topiarium*,inquit,*opus,vt omnes norunt,ex arboribus maximè ſequacibus & flexibilibus conſtabat,& tonderi aptis,vt ſunt myrtus,buxum,acanthus,& ſimilia. Hinc* ψαλιστοὶ μυῤῥινῶνες *apud Hieroclem,vbi* ψαλιστοὺς μυῤῥινῶνας *viri eruditione ſummi loca myrtis conſita,& opere topiario arcuatim ſtricta perperam exponunt. Scio* ψαλίδα *Græcis interdum eſſe arcum & fornicem vel cameram. Sed hic aliter accipiendum* ψαλιστὸς *pro tonſili ſcilicet. Itaque* ψαλιστοὶ μυῤῥινῶνες *ſunt tonſilia myrteta. Sic tonſile buxum Martiali Firmicus: aut qui buxeas arbores tondens in belluas fingat.* & quæ ibid. apud Salmaſium ſequuntur.

Lib.3.epigramm.62.vel.63.

Bellus homo eſt flexo qui digerit ordine crines.

Capilli vel arte flectuntur,& calamiſtris criſpantur, vel ingenio ſuo crines flexi ſunt. Ita Sal-

p.58.n.42. lit.F. maſius etiam ad Spartiani locum illum. *Flexo ad pectinem capillo)* *Flexi*, inquit *ad pectinem* capilli, ſunt *arte* (ſic lege,non,*ante*, vt mendosè apud Salmaſium vitio typographi eſt impreſſum) *flexi & calamiſtris criſpati. Firmicus: quorum inflexi crines torqueantur : contra ingenio ſuo flexi,qui nulla arte adhibita tales ſunt. Petronius: Crines ingenio ſuo flexi per totos ſe humeros diffuderant.*

Idem Salmaſius in Notis in Iulium Capitolinum, *immiſſa barba reflexo capillo) Reflexus ca-*

p.131.n.13. *pillus idem eſt quod flexus. in Hadriano: forma comptus flexo ad pectinem capillo. flexus autem capillus eſt*

[illegible]

οὖλος vel οὐλώδης quem in Albino criſpum & renodem *dixit. flectere igitur capillum eſt torquere & vibrare, vnde flexi ingenio ſuo capilli Petronio, qui naturâ tales non arte. Quintilianus* in annulum ponere capillos *pro flectere & calamiſtrare. flexi enim capilli annulos & nodos quodammodo exprimunt. vnde renodem & criſpum capillum Albini dixit Spartianus. Arculphus de locis ſacris,* ſubanellatum *Chriſti capillum fuiſſe ſcribit, vbi* ſubanellatus *eſt οὖλος incertus author apud Suidam: ἱστοροῦσι δὲ οἱ φασὶν ἀκριβέστατοι τῶν ἱστορικῶν, ὡς τὸ οὖλον καὶ ὀλιγότριχον οἰκειότερόν ἐστι γράφειν ἐπὶ τῆς εἰκόνος τοῦ Χριστοῦ. gradibus capillum frangere dicebant. Quintilianus vtrumque coniungit, gradus & anulos lib. 12. cap. 10. Sed me hactenus cedentem nemo inſequatur vltra. do tempori ne craſſa toga ſit, non ſerica: ne intonſum caput, non in gradus atque anulos totum comptum. Martialis* ordine crines digerere *dixit:*

Ille etiam flexos qui digerit ordine crines.

alicubi videor legiſſe comam comptam gradulatim. Maximianus qui vixit ætate Boetij in libro Elegiarum:

Grande erat, inflexos gradibus numerare capillos;
Grande erat, in niueo pulla colore coma.

aliter tamen gradus dicuntur in capillorum compoſitione, aliter anuli. inflexio enim ipſa & criſpatio capillorum nexiles anulorum orbes imitabatur. Comæ tamen ſic annulatim criſpata, non etiam confuſa ac turbata, & indiſcriminatim temereque implexa habebantur, ſed per gradus quoſdam poſita & ordine digeſta, ita vt vnaquæque anulorum ſeries ſtationem quaſi ſuam ſeruaret, & gradatim alueolatimque alia ſuper aliam ſcanderet. Latini in his exprimendis, ordinem, ſtationem, gradus, ſolent vſurpare. Ouidio crines in ordine ponere & in ſtatione. ἕδραν Euripides dixit. Quintilianus gradus & anulos iunctim poſuit. Manilius crines in fluctum ponere eleganter. nam illa crinium per anulos inflexio, & per gradus digeſtio, fluctuum modò extantium, modò ſubſidentium & inuicem ſe propellentium vndulatos intortoſque motus planè refert lib. 5.

Illis cura ſui vultus frontiſque decoræ
Semper erit; tortos in fluctum ponere crines
Aut vinclis reuocare comas, aut vertice denſo
Fingere.

Tortos crines in fluctum ponere, *idem eſt quod Quintiliano, in anulos ponere, & fallitur vir incomparabilis qui aliter accipit. Ouidius:*

Suſtineat ſimiles fluctibus illa ſinus.

Nam alibi ſinum vocat, anulum illum & nodum tortilem inflexi capilli:

Quàm ſe præbuerant ferro patienter & igni,
Vt fieret torto nexilis orbe ſinus.

Lib. 1. epigr. 87.

In Nouium Micropſychum.

In Exemplaribus paſſim editis ſcriptum eſt Micropſicus non Micropſychus. Ego ratus mendosè editum Micopſicus, vocem græcam retinui Micropſychum. Sed Latini poſteriores dixerunt etiam Micropſicus, de qua re Salmaſius: *μεγαλόψυχον Græci vocant, vt Latini magnanimum & animoſum. vnde μεγαλοψυχεῖν pro largiri & magnificè liberalem eſſe. Heſychius: ἐπιδαψιλεύσει, μεγαλοψυχήσει. & ἐπιδαψιλευόμενος, μεγαλοψυχούμενος, ἐπιχορηγῶν πλουσίως. notandum igitur, μεγαλοψυχεῖσθαι pro δαψιλῶς ἐπιχορηγεῖν. contra μικρόψυχοι, tenues ſordidi, parci & auari, vnde lemma epigrammatis apud Martialem: in Nouium Microſpicum. Microſpicum eſſe pro Mrropſychum docuit pridem ſummus Scaliger. Sed idem Micropſychum malè accipit pro homine teneræ frontis & ſubruſticæ pudoris. immò Micropſychus vel Microſpicus, vt tunc ſcribebant, eſt homo ſordidè parcus, qui neminem inuitat, nec conuiuia agitat: de cuius vicinitate queritur Martialis, quod cùm ſibi vicinus eſſet, non magis eum vicinum ſentiret, quàm qui longè habitabat. nunquam enim ab eo ad cœnam vocari. Diuites enim, vt notum eſt, tunc temporis, vicinos ad cœnam vocabant frequenter. quod qui non faceret, Micropſychus audiebat: vt ille Nouius apud Martialem. Seneca vocem Microſpicus ſic exponit eleganter de Beneficijs lib. 2. Parſimonia eſt ſcientia vitandi ſumptus ſuperuacuos: parciſſimum tamen hominem vocamus puſilli animi & contracti, cùm infinitum interſit inter modum & anguſtias.*

p. 90. n. 43 F.

Parciſſimus homo Senecæ animi puſilli & contracti, hoc eſt μικρόψυχος. ſic enim ad illam vocem explicat, quæ tunc vtebantur ad deſignandum hominem admodum parcum. σμικρίναι etiam Græcis dicuntur eiuſmodi homines, parci & auari, vnde σμικρίνης nomen Comœdiæ Menandri, in qua eiuſmodi ſenem introducebat auidum, aridum, & auarum, ad Euclionis Plautini exemplum. inde Iulianus in κρονίοις Veſpaſianum σμικρίνην vocat: quem locum perperam ab interpretibus acceptum, nos alibi νῦν διδόντος exponemus.

Hæc Salmaſius doctè & verè.

Lib. 10. Epigram. 1.

——fabulæq́; laſſæ.

DE SCORPO ET INCITATO.

Nomen fabulæ hoc loco non accipiendum eſt pro ficto & compoſito ad arbitrium ſermone, vt priſcis Latinitatis temporibus; Sed pro quolibet ſermone vel narratione ſeu ficta ſeu vera, quę
p. 61. a. 18. A.B. in ore populi verſabatur. Capitolini enim tempore atque etiam anteriore, *fabula* eſt ſermo ſimpliciter. ita fabellam hoc loco accipe; ita etiam infra in vita Veri: *nota eſt fabula quam Marci non capit vita.* & alibi: *quamuis & illa fabula quæ in vita Marci poſita eſt, abhorrẽs à talis viri vita ſit exorta.* Non dicit fabulam eſſe, quod vulgo iactaretur de Marco, ſed fabulam illam eſſe falſam, hoc eſt ſermonem. Sic enim ſermonem poſuit, ibidem: fuit ſermo quod & ſocrum Fauſtinam inceſtaſſet. Sic apud Martialem, fabula de Scorpo & Incitato, ſed nunc verſus in promptu non ſunt, pro ſermone, & vt vulgo loquimur diſcurſu, plura liceret ad confirmandum congerere ex iſtis authoribus & alijs quàm multis petita, niſi nimis obuium eſſet, vnde peti poſſunt.

Ita Salmaſius ad Iulium Capitolinum in Notis.

Lib. 4. Epigr. 4.

*Laſſi * Bardiacus quod euocati.*

* bardaicus.

Multa ſuper hac voce in tertijs curis annotauimus, nec tamen nobis ipſi ſatisfecimus. Acceſſit
p. 128. ad Iulij Capitolini illa verba Cuculli bardaici n. 36. hodie Salmaſius, qui *bardaicus* non bardiacus reſcribendum putat, cui facilè accedimus. Bardiaci, inquit, vt legantur pro bardaici, quodammodo inclinant docti viri. mihi Bardaici magis placent, atque adeò magis veram hanc opinior eſſe ſcripturam, quam libri retinent, & confirmat ratio. Nam Bardaicus à Bardæus, vt Archaicus ab ἀρχαῖος: Achaicus ab Achæus. Bardæ populi ſunt Illyrici à quibus iſti Bardaici cuculli. Horum gloſſæ mentionem habent. Bardei, Ἰλλυριοί, οἱ δοῦλοι, οἱ ἐναγωνισάμενοι, ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας κατὰ Κίννα καὶ Μαρίου στρατευσάμενοι, &c. melius ſcriberetur Bardæi. Ptolemæo dicuntur Οὐαρδαῖοι in deſcriptione Illyrici: ἐντὸς δὲ Δαλματίας Δαόρσιοι ὑπὲρ οὓς μετὰ Κ:μάνιοι καὶ Οὐαρδαῖοι. *ita vetus liber Palatinæ Bibliothecæ. Vulgo* Οὐαρδεῖς, *malè igitur dubitant viri docti vtrum à Bardis Galliæ, an ab iſtis Bardæis cuculli Bardaici dicti ſint. nam à Bardus Bardaicus non poteſt dici. Liburnicos cucullos appellat Martialis, & niſi fallor Bardaicos intelligit. Pannoniorum etiam galerorum mentio apud Vegetium, quos pro galeis geſtabant milites ipſius ætate. Bardaici quoque cuculli militare geſtamen. Calceos etiam Bardaicos militum reperio appellatos Iuuenalis:*

Bardaicus iudex datur hæc punire volenti

Calceus & grandes magna ad ſubſellia ſuræ. *Nec aliter enim procedit σύνταξις quàm hoc modo:* hæc punire volenti datur iudex, calceus Bardaicus & grandes ſuræ, *per quæ militarem iudicem intelligit, centurionem aut tribunum, cui grandes ſuræ & calceus bardaicus. incertum igitur vtrum de calceo intelligat, an de cucullo Martialis, cùm inter res malè olentes bardaicum militis ponit:*

Laſſi bardaicus quod euocati.

ceterum cucullos etiam pedum inuenio appellatos, qui cucullopedones *& pedocuculli dicebantur. horum habetur mentio in Notis Tironis & Senecæ.*

Eod. lib 12. epigram. 71.

A ſene ſed poſtquam numi venere trecenti

Hunc verſum ita legunt alij:

A ſene ſed patruo poſtquam venere trecenta.

venire hic ſignificat alicui obuenire contingere, hæreditas nempe. Ita Iulius Spartianus eſt locutus apud Salmaſium: Addens liberis eorum & vxoribus & hæredibus certè reddendum cui veniſſet. Cæterum ſi legas *trecenti numi*, non erant niſi decem floreni, ſi *trecenta*, ſubaudi millia ſeſtertiûm, hoc eſt, decem millia florenorum, ſeſtertius enim & ſeſtertius numus idem eſt, apud nos ſeſtertius duobus cruciferis æſtimatur. Malim *trecenta* quàm *trecenti* legere: docet enim poeta Aprum poſt acceptam hæreditatem à patruo non amplius fuiſſe pauperem.

Lib. 10. Epigram. 48.

Septem ſigma capit, ſex ſumus adde Lupum.

Multa ſuper ſigmate diſputauimus lib. 14. epigramm. 87.

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma

Octo capit: ——

Plura ſuggeſſit nuper Salmaſius ad Lampridium in Notis p. 185. ad illa Lampridij verba: *Nec cubuit*

cubuit in accubitis niſi qua pilum leporinum haberent) *Accubita recentioribus dicta ſunt, quæ veteribus triclinia. tribus enim lectis olim ad menſam accumbebant, & hoc triclinium dicebatur. poſtquam triclinia ab vſu receſſerunt, & forma eorum mutata, & pro triclinijs accubita & ſtibadia dici cœpere, quorum figura ſemi circularis erat, atque inde ſigma nomen inuenit, & falſum eſt quod ad hanc vocem ſigma vir eruditus annotauit, aliquando non vndique ad menſam conuiuas accubuiſſe, ſed ab altera tantùm parte, & ſic eos ſedentes lunatæ figuræ vel hemicycli ſpeciem exhibuiſſe, atque ab ea re ſigmati nomen factum. Falſum inquam ſic aliquando veteres ad menſam accubuiſſe, vt totum orbem menſæ ob omni parte non occuparent. Nunquam enim aliter accubuere, quàm vt vnum ex quatuor menſæ lateribus vacuum relinquerent. Nam ab ipſa parte quam conuiuæ non occupabant, inferebantur fercula in menſam. Sanè tres lecti, quos menſæ circumponi moris olim fuit, non omnia quatuor latera menſæ ambiebant, ſed tria tantùm vno, vt dixi, vacuo relicto ad inferenda menſæ obſonia. Poſtquam triclinia deſierunt, & in deſuetudinem abierunt, ſigmataque in tricliniorum locum venerunt, non ſecus ac triclinia, ſemper vnum menſæ latus à conuiuis liberum præſtitere. Cùm enim forma eorum ſemicircularis eſſet, & σιγμοειδὴς totam menſam non circumdabant, ſed ſpatium in ea parte relinquebant, qua circulus deficiebat ad eam rem quam ſuprà diximus, ad inferenda ſcilicet fercula, ne ſupra humeros & capita accubantium, aut inter latera cum magna incommoditate conuiuarum inferenda eſſent, & hæc differentia inter triclinium & ſigma ſtatui poteſt. triclinium tres lecti diuiſi & ſeparati, qui menſæ adpoſiti quadratam figuram efficiebant. Separatos liquet fuiſſe. Nā quia medij lecti pluteus infimo & ſummo iungebatur, in angulis flexura internallum erat relictum, nec ita preſſè ſibi coniuncti cohærebant, vt ſe tangerent. Plutarchus de loco conſulari qui medij lecti fuit vltimus: τὸν ἐξαίρετον ἔχει τὸν τόπον ὁ τῆς δευτέρας κλίνης τῇ πρώτῃ συναπτούσης ἡ γωνία διαλειμμα ποιοῦσα τῇ καμπῇ δίδωσι καὶ γραμματεῖ καὶ ὑπηρέτῃ καὶ φύλακι σώματος καὶ ἀγγέλῳ τῶν ἀπὸ στρατοπέδου προσελθεῖν, διαλεχθῆναι, &c. Sigma verò vnus perpetuus lectus, ſemirotundus, quod & ſtibadium & accubitum dixere. Triclinium omnibus menſis poterat conuenire, & maioribus & minoribus. Cum enim ex pluribus & diuerſis lectis conſtaret, facilè ſinguli lecti ad menſam poterant accommodari. Sigma vel ſtibadium non item. Nec enim minus ſigma maiori menſæ, nec maius minori coaptari poterat. Secundum igitur menſarum magnitudinem quærenda erant parua aut magna ſtibadia, quæ à numero conuiuarum, quos capiebant, dicebantur vel octaclina, cùm octo caperent: vel enneaclina, cùm nouem: vel hexaclina cum ſex, & ita de cæteris.* Martialis:

Et teſtudineum menſus quater hexaclinon
Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.

Stibadium, & accubitum, & ſigma idem eſſe ex illis quæ diximus poteſt conſtare. Sed teſtimonijs id etiam comprobemus. Vetus interpres Iuuenalis: apud veteres accubitorum vſus non erat, ſed in lectulis diſcumbentes manducabant. *Per accubita manifeſtò intelligit ſigmata: per lectulos triclinia. Seruius Aeneid. 1.* Antiqui ſtibadia non habebant: ſed ſtratis tribus lectis epulabantur. Vnde & triclinium ſterni dicitur. *Idem hic Grammaticus dicit quod ille, ſed ſtibadia vocat, quæ alter accubita. Martialis in epigrammate cuius lemma ſtibadium:*

Accipe lunata ſcriptum teſtudine ſigma
Octo capit: veniat quiſquis amicus erit.

Sidonius Apollinaris, nitentem ſtibadij circulum vocat, & ſigma intelligit.

Rurſus idem p. 194. n. 71. & 95. ad illa, *& octo pinguis, &c.) De Sigmate quid eſſet, ſatis in ſuperioribus abundeque diximus. Erat enim ſtibadium vel accubitum forma lunata vel ſemicirculari. Græci ἡμικύκλιον dixere: Latini Hemicyclium. Nam hæc vox eo ſenſu, niſi fallor, apud Ciceronem inuenitur. Apuleius ſemirotundum ſuggeſtum vocat. Scaliger in caſtigationibus ad hos auctores nondum editis, ſigma ſemirotundam cœnationem, interpretatur, καὶ μάλα ὀρθῶς. Caſaubonus quoque ſupra, ſigmata cœnationes fuiſſe ſcribit hemicyclij forma, vterque falſus eſt: nunquam enim ſigma pro cœnatione vſurpatum eſt; ſed pro ſtibadio quod in cœnatione ſternebatur. Sidonius Apollinaris ſtibadij circulum appellat, & circulo ſtibadium intelligit: nec enim ibi ſtibadium pro cœnaculo, vt quidam accepere. Sanè tantum inter cœnationem & ſigma eſt, quantum inter οἶκον & ἡμικύκλιον. Pollux de generibus accubitorum: ἐφ' ὧν δὲ δεῖ κατακεῖσθαι, κλίνας, κλινίδας, κλινίδια, σκίμποδας. εἴρηται καὶ ἀσκάντας καὶ στιβάδες καὶ ἡμικύκλια, κλιντήρια, χαμεύνια, ἡμικύκλια, ſunt ſigmata. nec debet quemquam mouere, quod vt οἶκος diceretur τρίκλινος, πεντάκλινος, δεκάκλινος, ſic dici videatur, σῖγμα ἑξάκλινος, ὀκτάκλινος, & ἐννεάκλινος: Martialis:*

Et teſtudineum menſus quater hexaclinum
Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.

Aliter enim σῖγμα vel στιβάδιον ἑξάκλινον, aliter οἶκος ἑξάκλινος dicitur. nam οἶκος vel cœnatio τρίκλινος, & δεκάκλινος à numero lectorum vel ſigmatum dicitur: ſigma verò hexaclinum & octaclinum à numero accubantium quos capere poterat. Antiqui non ſolum tres lectos ſtratos, quibus ad menſam diſcumbebant ante ſtibadiorum & ſigmatum vſum, triclinium dixere, ſed etiam τρίκλινον οἶκον ita appellauere. Vitruuius, Quintilianus, Suetonius, Phædrus, & cæteri triclinium pro conclaui & cœnatione ipſa vſurparut. Et fallitur Seruius qui falli putat eos, qui triclinium de cœnatione aut baſilica dicunt. Sed Latini triclinia

 dixerunt

n. 4. E. F.

dixerunt non ſolum τρικλίνους οἴκους, verùm etiam qui plures lectos tenere poſſent, planè καταχρηστικῶς. Græci verò pro conclauium amplitudine & numero lectorum, οἴκους modò πεντακλίνους, modo δεκακλίνους vocauerunt, atque hi fuere ampliſſimi. Latini triclinia de his omnibus dixiſſent. Sed hæc alibi loco aptiore & commodiore tempore pleniùs tractabimus.

Ibid Et octo pingues cum capi non poſſent vno ſigmate) *Perperam de ſingulis ogdoadibus capit vir doctiſſimus. octo enim capiebat ſigma, vt ſcimus teſtimonio Martialis, ſed de ogdoade pinguium tantùm intelligendum eſt. facilè enim & octo caluos, & octo ſurdos, & octo longos ſigma capiebat. octonis quippe hominibus ſufficiebat ſigma. Sed octo pingues, qui teneri poterant vno ſigmate? plus enim loci occupant octo pingues, quam decem communis habitudinis homines. non mirum igitur, ſi cum octo pingues adhiberet, capi non poterant vno ſigmate, & hoc faciebat ridiculi gratia, at in octo luſcis, octo longis, & aliis ogdoadibus alia fuit cauſa ridendi.*

Lib.14.epigramm.95.

Quamuis Callaico, &c.

p.204. Nos ibi non pauca de phiala & auro Callaico & arte opificis. Illuſtrat eadem Salmaſius ad Ælium Lampridium in Notis: *Argentarij*, inquit, *qui argenti vaſa calant, vel alio opere fabricant, qui propriè laborioſi dicebantur. Vetus Interpres Iuuenalis ad illud:*

Sit mihi præterea curuus cælator, & alter
Qui multas facies pingit cito ———

id eſt, opifices, inquit, ſerui, argentarij, laborioſi, anaglyfarij. labor enim in argento celatura artificum dicitur. Idem Iuuenalis:

——— & Polycleti
Multus vbique labor, raræ ſine Mentore menſæ.

Martialis:

Quis labor in phiala? docti Myos anne Myronis?

Idem:

Solus Phidiaci toreuma cœli,
Solus Mentoreos habes labores.

Idem in Apophoretis:

Quamuis Callaico rubeam generoſa metallo,
Glorior arte magis, nam meus iſte labor.

Labor autem, & manus, & opus, idem. labor Myronis in phiala, & manus Myronis, & opus, idem ſignificant. hinc argentum in opere apud Trebellium de argento facto. & pretium manus dicebatur, quod pro manu, vel labore dabatur artifici argentario & vnica voce manupretium. Cato: nec vllum vaſum manu pretioſum, id eſt, cuius manus vel labor pretioſus fuerit. Manlius:

Materiamque manu certa duplicarier arte,
Quidquid & argento fabricatur, quidquid & auro.

primum verſum ſpurium pronunciauit vir ſummus, & tamquam de alchymia loqueretur, capite propulſit foras. ego verò & elegantiſſimum illum verſiculum & Manlio digniſſimum ſemper iudicaui, nec ab homine Alchymiſta intruſum eſſe puto, cum eius hic ſenſus ſit: Materiam auri & argenti, manu & arte certa, hoc eſt factura celaturaque, pretioſiorem fieri, & quodammodo duplicari, vt materiæ pretio etiam accedat artis & manus pretium. Ouidius:

Materiam ſuperabat opus ———

Plinius lib.33. cap.11. Nec copia tantum argenti fuerat vitæ, ſed validius pœne manuſpretium, idque iam pridem, vt ignoſcamus nobis. *Non poterat dari dilucidior ac melior interpres Manilio, tritores etiam dicebantur, quos Græci Τορευτὰς vocant. Gloſſa: tritor Τορευτής. hinc toreuma, argentum calatum.*

Phidiaci toreuma cœli

tritum argentum, pro cœlato apud Phædrum:

——— aurum aſcripſit Praxitelen, ſuo,
Trito Myronem argento: fabulæ exulant
Ideo fugatæ, &c.

qui locus vulgo fœdo deprauatus eſt in editionibus. Virgilius:

Qui radios triuêre rotis.

Seruius: triuere, tornauere, compoluere de torno. *Plinius de vitro:* aliud torno teritur, aliud torno figuratur. *& hæc ſatis de laborioſis & tritoribus.*

Lib 9.epigram.77.

Quod Caryſtos inuenit.

De Caryſto ſynnade & nomade lapide, qui laudatur in hoc epigrammate à Martiale, plura Salmaſius p.266. ad Iulium Capitolinum.n,25. & 26.

Lib.

Lib. 14. Epigram.20.

Gemmeus iſte tibi miles & hoſtis erit.

De gemmis vitreis calculis, Smaragdis, Iaſpidibus, adamantibus, plura Salmaſius in Trebellium Pollionem p.286.

Lib.8. epigram. 51.

Et niueum felix puſtula vincit ebur.

De puſtulis argenteis plura docebit Salmaſius in Trebellium Pollionem p.295.

Lib.8.epigramm.28.

——*Semiramia quæ variantur acu.*

Legatur Salmaſius in Trebellium, p. 310.

Lib. 4.epigram.101.

Lemma eſt *Boletaria.*

Salmaſius: *Boletar eſt genus vaſis.* Dixeram ego boletaria eſſe patinas quibus boleti inferuntur in menſam, vt eſt apud Apicium: p.140.B.F.

Comptas nolo dapes vacuum mihi pone boletar
Quod placet aſpiciam, renuo quod ſaturat.

Scholiaſtes Iuuenalis ad illud

——*cui cedere debeat omnis*
Pergula——

Coquina, inquit, qua boletaria ponuntur. Boletar ergo genus patinæ ſeu diſci haud dubiè à boletis nomen accepit.

Lib.14.Epigram.138.

Lemma: *Gauſape villoſa vel mantile.*

Salmaſius reſcribit *Mantele*, pro *Mantile*, & Mantele mea ſententia non malè interpretatur his verbis. Sciendum eſt, inquit, veriloqua nominis notatione mantelam eſſe telam, vel linteum quo manus extergentur. Nam mantela propriè dicebatur: poſtea generis enallage & mantelum dictum eſt, & mantele. Sic hæc gauſapa, qui Græcis ὁ γαυσάπης. & hoc gauſapum, & hoc gauſape. ad hunc vſum igitur & in hoc ſignificatu ſumebatur apud veteres *mantele.* Græci χειρόμακτρον interpretantur. Pollux: λάσια δὲ ἐκάλουν τὰ μαλλοὺς ἔχοντα χειρόμακτρα, ὡς ἀπὸ τῆς δασύτητος. ὥστε οὐδὲν κωλύει τὰς ὀνομαζομένας μαντίλας οὕτω καλεῖν: ita enim veteres libri ibi legunt. ſic accipienda ſunt mantelia apud Virgilium: p.357.

——*tonſiſq; ferunt mantelia villis*

Seruius: *quibus manus terguntur.* idem alio loco: *mantelia tonſis villis: vel minutis, vel compoſitis: vt tonſa coma preſſa corona. conſtat enim maiores villoſas habuiſſe mappas.* villoſa igitur erant illa mantelia.

Ouidius:

Villis mantele ſolutis

Lucilius:

——*mantela merumq;*

Philargyrus interpretatur *mappas* nam mappæ tergendis manibus habebantur. Gloſſæ: *mappa χειρόμακτρον. mantelia pro mappis villoſis etiam ſumuntur apud Plinium lib.7. cap.2. priores Anthropophagos quos ad Septentrionem eſſe diximus 10. dierum ſupra Boryſthenem amnem, oſſibus humanorum capitum bibere, cutibuſq; cum capillo pro mantelibus ante pectora vti. non dubito in Græco ſcriptore fuiſſe ἀντὶ χειρομάκτρων, quod Plinius vertit pro mantelibus. vbi mantelia pro mappis poſuit. quæ vetus eſt, ac vera huius vocabuli notio. ridiculè verò illi qui mantelia in illo Plinij loco pro thoracibus vel loricis quibus munitur pectus, acceperunt. quaſi verò magnū munimentū ſit, & magnopere impenetrabile incute humani capitis. atqui mantelia veteres ante pectora ponere cœnantes conſueuerant, vt hodiè ſolemus illa linia, quæ ſeruiettæ nobis dicuntur, quas ante pectora noſtra ponimus, cum menſa adſidemus, & quibus manus & labra tergemus. verùm ætate Plinij mantelia non amplius in vſu erant ἀντὶ χειρομάκτρων, ſed in tegendis menſis ſeruiebant.* Martialis:

Gauſapa vel Mantele

Nobis

Nobilius villoſa tegunt tibi lintea citrum,
Orbibus in noſtris circulus eſſe poteſt.

atque hoc tunc temporis diſcrimen ſtatuebatur inter mappas & mantelia: vt mantelia menſis operiendis, mappæ manibus tergendis vſum præberent. Nam mappæ erant breuia lintea, quas quiſque ſecum ad conuiuium ferebat. Nec enim dominus eas ſubminiſtrabat. Inueniebant quidem apud dominum conuiuij menſam mantelis inſtratam, ſed ſuam vnuſquiſque ſecum conuiuarum mappam afferebat. Quod conſtat ex quodam epigrammate Martialis in Hermogenem mapparum magnum furem, quem ſcribit mappam in conuiuium nunquam attuliſſe, de conuiuio ſemper retuliſſe. Quodam igitur die, cùm furis metu nemo ex conuiuis mappam attuliſſet ad id conuiuium cui ille debebat intereſſe, cum nihil poſſet mapparum ſurripere, mantele ipſum furatus eſt, quo menſa erat inſtrata:

* omiſſum eſt apud Salmaſium

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur,
Mantele è Menſa ſurpuit Hermogenes.

Hinc mappæ breues, eidem Martiali ἡμιτριχαῖς appellantur:

Et vani triplices breueſque mappæ.

ſic apud hos auctores paſſim mantele pro menſæ integumento accipitur. Hinc mantelia in menſam mittere, & mantelia mittere ſimpliciter dicunt, & mantelibus ſteruere. Spartianus in Heliogabalo: Exhibuit paraſitis cœnas de vitreis, & nonnunquam tot picta mantelia in menſam mittebat his e ludibus picta quæ apponerentur. Mittere mantelia Lampridius in Alexandro dixit: Conuiuium neque opiparum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen vt pura mantelia mitterentur. Mitterentur, in menſam ſcilicet. Quomodo vulgo in noſtro idiomate loquimur. Nam mappam mittere, pro mappa menſam inſternere dicimus. Sic aulæum in ſcenam mittere & ſternere idem Phœdrus:

Aulæo miſſo, deuolutis tonitribus.

aulæa ſteruere apud Donatum: aulæa quoque in ſcena intexta ſternuntur, pro quibus ſiparia poſterior ætas accepit. ſic etiam mantelia ſternere & mantelibus ſteruere dicebat. Trebellius ſcribit Gallienum mantelibus aureis ſemper ſtrauiſſe. Iſidorus: Mantelia nunc pro operiendis menſis ſunt, quæ vt nomen ipſum indicat, olim tergendis manibus præbebantur. At mappam infima latinitas etiam pro menſæ tegimine vſurpauit. inde noſtrum, nappe de mantelis, vel menſæ operimento. nam m literam vertimus in n. ſic mattam, hoc eſt tegetem & ſtoream, nattam vulgariter vocamus. Mappa autem vocabulum à Pœnis mutuum ſumpſerunt Romani. & quodlibet tegmen apud illos ſignificat. hinc mappale καλύβη, eiuſdem gentis & originis vox. mappalia vel mapalia ſcribuntur. Gloſſa. mappalia, καλύβαι. & ita ſæpe in libris manu exaratis ſcriptum inuenitur. qua de re nos alibi.

Lib. II. Epigram. 92.

——— *ederunt oſcula.*

Oſculum hic pro paruo ore accipitur, Canace enim ſeptem erat annorum, cùm fœda lue exeſo ore extincta eſt.

Lib. 14. Epigram. 16.

cui *Turricula* eſt lemma.

De omni ferè ludorum genere copioſè Salmaſius in Vopiſcum ad illa verba: *Ad latrunculos luderetur* p 459. 460. 461. 462. 463. 464 465. & ſequentibus, vbi pleraque Martialis diſticha laudantur & paſſim explicantur ad 472. paginam.

Lib. II. Epigram. 107.

Albi Maxime, ſi vacabit hora.

Magis placet ſcriptura ad oram poſita: *ſi vacas habere.* i. auere, ſeu hauere.

In Iudicijs Doctorum Virorum de meis Commentarijs poſt præfationem ad Lectorem. Bernardus Autumnus &c. Huius elogium ſubijcias literis Titij ad me: & præpone; *Ex eiuſdem*, Titij nempe (non Autumni) *literis*. præceſſerat enim Titius ad M. Vellerum.

Lib. I. Epigram. 6. ad Marcum.

Illa verba præcedenti epigrammati ſub finem adiecta pertinent ad hoc ſequens, ſtatimque ſunt Lemmati *Ad Marcum* ſubijcienda: ſunt autem hæc:

Marcum emendat Parthius, & reſcribit pro Marco Maccum, ſed retineo Marcum, quamuis enim Maccus inſipidum, fungum ſonet apud Apuleium, huc tamen non quadrat. niſi velis Cæſarem ad Maccum ſcripſiſſe, quem Cæſarem hic poeta facit loquentem. De ſeipſo infra ita quoque locutus eſt ad Frontinum:
Vota tui breuiter ſi vis cognoſcere Marci; & alibi ſæpius.

Erant

Erant hæc verba in orâ ſcripta,& inſerenda, vt dixi, poſt Lemma *ad Marcum.* Sed operæ librariæ per errorem non ſuo lo˘o inſeruerunt , iunxeruntque fini ſuperioris epigrammatis,ad quod nulla ratione pertinent.

Occurrunt etiam ſphalmata typographica,quæ prudens & peritus Lector tacilè per ſe emendabit.

FINIS.

Digitized by Google